

quæ justa & probabili causa absentibus data sunt. Additur  
Privil. LXXVII. Absenti studiorum causâ concedendam esse  
in integrum restitutionem. Succedit Privil. LXXXVII. Mo-  
nachum absentem causâ studiorum, eleemosynam facere posse.  
Subiectitur Privil. XCII. Absentes studiorum causa non vi-  
deri in fraudem abesse. Novum est Privil. XCIII. Absentis  
causâ studiorum, æquè ac si esset præsens & commensalis, bene-  
ficium conferri posse. Idem recurrit in Privil. XCIX. Ab-  
sentibus causa studiorum beneficiorum fructus concedi, ac si re-  
siderent. Opus tandem fuit Privil. C. Absentem studiorum  
causâ, non teneri dicere horas. Plura non affero, cùm ex  
istis constet, qvàm accurata numeri istius centenarii  
sit ratio. Sic etiam in eodem autore multa occurunt,  
qvæ nostris moribus videntur absurdæ, velut Privile-  
XXXIX. Dominum compelli domos scholaribus locare. Privil.  
XL. Dominum scholasticum conductorem expellere non posse, et  
iam si propriis usibus domus sit necessaria. Privil. XLI. Domi-  
num alii domum locare non posse, si scholares idem quod alii obtu-  
lerint, &c. Imò qvædam ridicula ferè sunt, & qvo-  
cunq; alio potius nomine, qvàm Privilegiorum veni-  
re solent, qvo pertinet Privil. XLIX. Scholasticis permis-  
sum esse festi diebus studere. Cœterum eò collimat *Luti*,  
omnia beneficia Juris, qvalibuscunq; concessa sint  
personis, patere etiam Studiosis, ab oneribus verò tam  
realibus qvàm personalibus esse absolutos.

Eç sanè multa veritati conveniunt, si intellectum à  
nostra petamus consuetudine, nec qvod restrictum  
jam est, latius cupiamus extendi. Nam in Germaniâ  
adhuc studiosi à vectigalibus, tributis & servitiis sunt  
immunes, peculiarem agnoscunt Judicem, ad ordina-  
rii processus prolixitatem trahi nequeunt, & qvæ de-  
gentibus in Academiis obviant alia.